

Speciminum Sinicorum decimas de decimis edidit, qui titulus eo valebat, quod, ut semel instituerat rationes suas, nihil edere perfectum, nedum hunc de Eclipsi commentarium suum voluit. Non dicam, quid maioribus commentariis facere sponderit, hoc enim totum haud scio an umquam in animo habuerit facere. Quid illis Decimis profecerit dicam. Locum ex Annalibus edidit, sane ingenue, sed sine litteris Sinicis, pronunciatione sola, versione tali, qua prodesset nemini. Litteras ut dixi supra praetermisit, praeterquam quod in amicorum exemplaribus manu sua adscriberet. Explicatio vero magnas tenebras offundit loco. lucis parum habet, multa tamen, quae mirabilia sint his litteris leuiter instituto et ad quae hianti ore moretur lector, aut abeat. In Disquisitione de Eclipsi Passionali primum testimonia congeffit eorum, qui ex antiquis de Eclipsi illa, quae Christo in crucem acto facta esse dicitur, auctores fuerunt. Commentarius non ineruditus, sed plenus dubitationibus, ut, quo se vertat, haud sciam, an ille plus sciuerit, quam qui eum legunt. Omnino vir doctior fuit, quam multi rati sunt, sed non quam ipse videri voluit. Bene habet, quod nemo eo tempore nummos sane haud multos conferre in construendam clauem voluit, atque quod, cum Magnus Elector vellet, quorundam intempestiua inuidia, in primis Grebnitii immodesta in eum inuectiua artesque quaedam non obscurae eum impediuerunt, futurum enim fuisset, ut si serio res ageretur, non latuisset inanis ostentatio. Res talis est, quae effici haud magis potest, quam ut hoc medio die luna luceat et stellae coelo appareant, aut ut in aere domus, in mari turre, in sole saltus sint. Vidit aliquid, quod non difficile etiam aliis est videre et quoda Cupleto Menzelius quoque didicit, sed id per iocum credo in maus extulit, neque tamen se errasse confiteri voluit postea. Haec cum scribo,